



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tertia Seraphica Vinea, Sive Tertius Ordo De Poenitentia  
à S.P.N. Francisco institutus**

**Pauck, Engelbert**

**Coloniae, 1720**

Num. 2. Citatur Breve Innocentii XI. commendantis specialiter tertium  
Ordinem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64103)

*cura*) in veritate speculum esset, & splendor omnimodæ Sanctitatis, Sedem Luciferi in Cælo occupare creditur. Hucusque *Gabriel Cardinalis titulo S. Pancratii Presbyter de Trejo apud Lucam Wadingum in sua epistola data Tibure 3. Julii 1621. in prologo ad opuscula S. Francisci.*

Tantus ergo Patriarcha FRANCISCUS non sibi soli vivere, sed & aliis proficere volens, Dei Zelo ductus, doctus doctrine gratiâ, & doctis factus in stuporem (ut habetur in Officio Romano Franciscano S.P. FRANCISCI) contentus non fuit, quòd Ordinem Fratrum, & Monialium à mundo, & mundanis penitus exclusorum instituisset, sed Seraphico Spiritûs ardore ignitus tertium instituit Ordinem tam virorum, quàm mulierum in sæculo viventium: in quo mandata Dei observantes perfectè, & in operibus Charitatis & Pœnitentiæ se exercentes, infallibilem ad salutem reperirent viam; ut sic omni hominum statui (omnibus omnia factus) provideret.

Hunc Ordinem totius mundi Monarchæ professi sunt, & ex eo tot prodierunt Sancti; ut vix ulla sit in anno dies, quâ non reperiantur plures ex isto Ordine vel Canonizati, vel Beatificati, vel vitâ & miraculis clari.

II. **I**nnoCentius XI. fel. & opt. record. die 28. Junii 1686. in Brevi: *Ecclesia Catholica*, plura pro tertio Ordine specificè approbavit, hoc expresso motivo: ut Pœnitentium venerabilis Ordo à S.P. FRANCISCO pro personis utriusque sexûs in sæculo viventibus institutus, & à felicitis recordationis Clemente VIII. ac Paulo V. in 3. status sub una, eademque Tertii Ordinis appellatione, atque eorundem privilegiorum, gratiarum, concessionum, Indulgentiarum, & sacrorum communicatione, sub diversis Statutis, secundùm cujuslibet status exigentiam divisus, magis indies augeatur, & illi sancti, qui (ut ab eodem Paulo III. in suo Brevi: *Trium Statuum*, refertur) pro Sanctis dicti Ordinis recensentur; sequacibus in Indiarum, & totius Orbis Christiani partibus non careant, ac ut exemplo personarum sub Regula præfati Ordinis viventium, fidelium mores reformentur &c. &c.

III. **I**n Brevi *Innocentii XII.* incipiente: *Debitum*, 19. Maji 1694. concessio comprobata, ac inserta reperitur sequens dispositio: Quoad Tertiarios verò, & Chordigeros servantur statuta & decreta Capituli Generalis, Romæ (ut præfertur) anno 1688. celebrati; omnimodâque adhibeatur cura, ut in cunctis Confraternitatibus erectis, seu erigendis, in Ecclesiis Conventuum seu Monasteriorum &c. servetur exercitium Viæ Crucis, & orationis mentalis; eoque introducto una ex diebus Dominicis, vel festivis, pro quolibet mense, à superiore locali in perpetuum assignabitur, ad consequendam Indul-